



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 173. Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. consentiente Papa secretarium suum ad
A.C 1420. Ludovicum III. Andegavensem, qui tum
 in Provincia agebat, ablegavit, impense
 rogans, ut Regni, quod omni jure ipsius
 esset, habenas capefferet.

§. CLXXIII.

Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa.

Tam opportunam occasionem Ludovicus avideprehendit, atque altissimum Sfortiæ Secretarium cum ingenti pecuniarum vi, qua bellum inchoaret, redire jubet, pollicitus, se quoque cum valida classe, quam mox Massiliæ instrui curaret, proxime venturum. Sfortia his firmatus subsidiis, recto tramite copias suas Neapolin ducit, ipsique Reginae baculum, militaris imperii signum, reddit, declarans, bellici sui sacramenti tempus expirasse, proin se imposterum sub Ludovico Rege stipendia meriturum. Igitur Proceribus, qui Andegavensis partes tuebantur, sese adjungit, omnesque Neapolis aditus sedulo intercludit, ne terrestri itinere in amplam hanc urbem quidquam commeatus invehi posset. Carracciolus proximi periculi conscius, nulla mora Antonium Caraffam ad Pontificem Florentiæ agentem ablegat, rogans, ut auxilio esset, priusquam Classis

ex

ex Provincia appelleret. Ubi vero Antonus intellexit, Papam Sfortiæ, & Ludovici Andegavensis partibus adversus Regnam adhærere, proin in eo nullius præsidii spem esse repositam, clam consilia agit cum Arragoniæ Legato, qui pariter Pontifici infensus erat, eoquod Regis sui postulatis repugnasset.

Sæcul. XV.
A.C. 1420.

§. CLXXIV.

Consilia cum Arragoniæ Legato de liberanda Neapolis urbe.

Huic Caraffa proponit, quod magis expediret, Neapolitanæ urbi suppetias ferre, quam in Corsicam Genuensium Insulam expeditionem movere, maxime, cum jam aliunde Alphonsus illam validissima classe oppugnaret, his addit, certo Regem a Regina adoptatum, regnique Neapolitani successorem nominatum iri, si eidem in extremo hoc discrimine opem ferre haud cunctaretur. Ad hæc respondit Legatus, Alphonsum, dummodo Caraffa Reginæ suæ mandatum exhibere valeret, haud ægre consensurum. Quam ob rem nuncius Neapolin ablegatur, ac septimo abhinc die Reginæ mandatum obtinetur, unde foedus, quamvis Hispana gravitas negotio moram ingerere timeretur, tanta tamen celeritate confectum est, ut simul ac Caraffa auctoritate & nomine